

EPISTULA LEONINA

CLXXV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXIV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUINTAM (175) !

ARGUMENTA

ROMA LOCUTA CAUSA FINITA.....	03
FABELLA GRIMMIANA: Iorinda atque Ioringelus.....	04-07
MUNDUS SOPHIAE (Gaarder: Sofies verden).....	08-21
NOVA FABULA MUSICA LATINA (Valahfridus Stroh).....	22-

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam septuagesimam quintam (175). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Lunae, 24. m.Sept., a.2018



ROMA LOCUTA CAUSA FINITA

Jean-Baptiste Willart de Grécourt (*1683, +1743), Abbas Francogallus in quodam carmine satirico, c.t. »**Philotanus**«, et quod Parisiis editum est a.1720, p.89, affert haec verba Francogallica: „Pour reprimer ces complots furieux./ Aux Cabarets, & dans les mauvais Lieux./ J’avois écrit sur chaque Cheminée:/ *Rome a parlé, l’affaire est terminée*”. Dicitur autem Grecurtius verbis suis Francogallicis alludere ad quaedam verba Augustini, quae inveniuntur in eius Sermonibus:


AUGUSTINUS Sermo 131,10 Iam enim de hac causa (Pelagiana) duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt: **causa finita est**; utinam aliquando finiatur error. –

Editioni Philotani a.1720 factae addita est translatio Latina a **Nicolao Larchant** facta. Sed valdè doleo, quod haec translatio est liberior, quam ut in eâdem inveniantur verba Latina illis Francogallicis respondentia.

Ceterum Grecurtius saturâ suâ irridet Iesuitas; titulo, qui dicitur ex verbo Graeco *φιλέω* et Latino *ānus* compositus esse, alludit ad venerem aversam quâ Iesuitae intemperanter perfrui a nonnullis auctoribus illius aetatis impudicè referuntur. cfr Philotanus, Poème par M. de G***, Nouvelle Edition augmentée de Nottes (sic!), Amsterdam 1745, p.1: “Remarques. PHILOTANUS] Pour *Philos – Anus*. Ce nom est composé de deux mots, dont le premier est Grec, *philios* (sic !); & le second Latin, & même François, *Anus*. *Philios* (sic !) signifie *Ami*, *Anus* désigne cet endroit du corps dont les fonctions sont directement opposées à celles de la bouche, & que les gens polis se font de la peine de nommer. On accuse les Italiens, & une certaine Communauté de personnes Religieuses, de ne se piquer pas de délicatesse sur l’article...”

FABELLA GRIMMIANA

68. Iorinda et Ioringelus (*Jorinde und Joringel*)¹



Aliquando fuit vetus castellum mediâ in silvâ magnâ atque densâ situm, in quo habitavit anicula prorsus sôla; quae fuit archímaga². Eadem die se mutabat in cattam aut noctuam, sed vespere mutabatur in solitam hominis formam. Ista anicula sciebat bestias feras, praesertim aves, allectas capere; deinde eas mactabat, coquebat, assabat. Cum aliquis castello appropinquaverat ad distantiam centum graduum, îdem non poterat, quin sisteret et loco staret immotus, usque dum verbis aniculae absolveretur; at si quae virgo casta introgressa erat istum in circulum magicum, eadem ab archímagâ mutabatur in aliquam avem, quam corbi inclusam in quoddam cubiculum castelli portabat. Anicula nescio an in castello septem ferê milia talium corbium habuerit, quibus inclusae erant aves rarissimae.

¹ Fabella Grimmiana 67 (secundum editionis Röllekianae numerationem) Latinê reddita est in EL 131, 20-22: De artifice furandi eiusque magister (orig. »*De Gaudeif un sien Meester*«).

² *archímaga, -ae f. orig. *Erzzauberin*. cfr Vuilelmus Holderus, Calvinianus Candor, h.e. de eximia pietate, fide, doctrina et modestia Theodori Bezae, Genuensis theologi, etc., Tubingae 1582, p.23: "Miserum (inquis) Bezam in archimagarum transformat<ione>...."

Aliquando fuit quaedam virgo, nomine *Iorinda*; quae fuit pulchrior omnibus puellis ceteris. Haec virgo et quidam iuvenis, nomine *Ioringelus*, nuptias inter se sponderant. Iidem cum degerent dies suos sponsales, unus cum alterâ summê delectabatur. Ut nunc inter se colloqui possent familiarius, in silvam ierunt ambulatum. Ioringelus: »Cave,« inquit, »ne nimium appropinques castello«. Vesper erat pulcher, sol inter stipites arborum lucidê splendebat in obscuram silvam viridem et turtur flebiliter cantabat sedens in vetustis fagis maialibus.



Iorinda interdum flebat, sole splendente considerat lamentans; Ioringelus quoque lamentabatur. Iidem tam vehementer consternati erant, quasi sibi moriendum esset; circumspectantes errantes nesciverunt, quo domum irent. Dimidia autem pars sôlis adhuc stetit super monte, altera autem pars eius dimidia iam occiderat. Subito Ioringelus per dumetum prospiciens cognovit murum castelli veterem sibi esse propinquum; iuvenis territus est.

Tum Iorinda cantavit:

»Mea est avicula rubro anulo
cantat dolens, dolens, dolens;
cantat de mortuo columbulo,
cantat dolens, do—
zicküth, zicküth, zicküth.«

Ioringelus autem prospexit ad Iorindam. Ea mutata erat in lusciniam, quae cantavit: »*Zicküth, zicküth.*«

Tum strix¹, quae fuit oculis ardentibus, eos circumvolavit et ter clamavit: »Schu, hu, hu, hu«.



Ioringelus se movere non potuit; qui pedibus constitit tam immotus quam lapis, neque lacrimavit, neque locutus est, neque manum neque pedem movit. Nunc sol totus occiderat: strix in fruticem volavit, deinde e frutice anicula vênit incurva, colore flavo, staturâ macrâ, magnis oculis rubris, naso curvo, cuius pars summa usque ad mentum pertingebat. Quae murmuravit, lusciniâ captam manu tenens secum abstulit. Ioringelus ne ullum quidem verbum potuit eloqui, ne ullo quidem gradu progredi; lusciniâ avolaverat. Tandem anicula reversa voce fuscâ dixit: »Salve, Zachiel, si lunula in corbulam splendeat, absolve, Zachiel, bonâ horâ«. Tum Ioringelus absolutus est. Qui coram aniculâ in genua procubuit eamque consecratus est, ut sibi redderet Iorindam suam, sed illa dixit Ioringelum numquam recepturum esse Iorindam, et abiit. Deinde iuvenis vocabat, lacrimabat, lamentabatur, sed omnia haec fecit frustra. »Vae mihi, quidnam fiet de me?« Deinde Ioringelus profectus denique advênit

¹ **strix**, strigis f. orig. *Nachteule*. cfr https://de.wikipedia.org/wiki/Jorinde_und_Joringel: „...Die Beschreibung der alten Frau mit großen roten Augen und krummer Nase ähnelt der Eule, in die sie sich verwandelt. Ihr Ruf „Schu – hu – hu – hu“ und die *glühenden Augen* passen am besten zu einer *Waldohreule*, die in ganz Mitteleuropa verbreitet ist...“. – cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Wörterbuch, 14. ed., Hannover 1978, tom.II, col.2828 sq.: „strix, igris, f. (στρίγξ, Zischer, v. στρίζω oder τρίζω, strideo), die *O h r e u l e*, ein in den Ammenmärchen der Alten berühmter Nachtvogel, der, wie man glaubte, den Kindern in der Wiege das Blut aussog und giftige Milch aus eigenen Brüsten einmelkte, folglich für eine Art Harpye, Unholdin usw. gehalten wurde, ...“ – PLIN.nat.11,232 Esse in maledictis iam antiquis strigem convenit, sed quae sit avium, constare non arbitror.

vicum alienum: ibidem per longum tempus oves pascebat. Saepe iuvenis castellum circumibat, sed cavebat, ne nimium appropinquaret. Aliquando Ioringelus nocte somniavit se invenire florem sanguineum, cuius in mediâ parte esset magna margarita pulchra. Hôc flore decerpto castellum adiit: omnia quae Ioringelus hôc flore tetigerat, vi magicâ absoluta sunt; necnon somniavit se hac re Iorindam suam recepisse. Mâne, quo experrectus est, coepit montes vallesque perquirere, ut talem florem inveniret: quaesivit usque ad diem nonum, quo florem invênit sanguineum multo mâne. Medio in flore fuit magna gutta roris, quae tanta erat, quanta margarita omnium pulcherrima. Quem florem die noctuque secum ferebat usque ad castellum. Cum autem centum tantum pedibus a castello remotus esset, Ioringelus non est defixus, sed progressus est usque ad portam. Iuvenis summê gavisus portam flore tetigit, ut aperiretur. Intravit per aulam, auscultavit, ubinam audiret aves illas multas; tandem eas audivit. Iuvenis ire perrexit et invênit oecum, in quo fuit maga et aves cibavit in septem milibus corbium versantes. Ubi primum maga Ioringelum conspexit, irata est, vehementissimê irata est, conviciata est, pus atque venenum in iuvenem sputavit, sed non propinquius eum adire potuit quam duobus gradibus remota. Tum Ioringelus aniculam non curavit, sed corbes avium inspexit; at iisdem infuerunt complures centum luscinae, inter eas quonam modo fieri potuit, ut Iorinda reperiret suam Iorindam? Aniculam dum aspectabat, subito animadvertit archimagam corbulâ, cui inerat avicula, clam ablatâ ianuam adire. Sine morâ Ioringelus assiluit, corbulam flore tetigit necnon aniculam: nunc ista orbata erat vi suâ magicâ, et Iorinda adfuit, virum amatum amplexa, et fuit tantâ pulchritudine quantâ olim fuerat. Tum Ioringelus ceteras aves quoque reddidit virgines et cum Iorindâ suâ domum iit, et ibidem laetê unâ vixerunt per longum tempus.

FABELLAM GRIMMIANAM, CUI TITULUS EST

»Jorinde und Joringel«

in Latinum convertit

LEO LATINUS

* *
*

MUNDUS SOPHIAE

Fabula romanica,
quam de historiâ philosophiae

scripsit

sermone norvegico

Jostein Gaarder

versione theodiscâ *Gabrielae Haefs* usus

in Latinum convertit

Leo Latinus

Titulus originalis: „*Sofies verden*“ (ed. Osloae a.1991)

Titulus versionis theodiscae, quam confecit *Gabriele Haefs*: «Sofies Welt» (1993).



***Wer nicht von dreitausend Jahren
Sich weiß Rechenschaft zu geben,
Bleib im Dunkeln unerfahren,
Mag von Tag zu Tage leben.***

Johann Wolfgang von Goethe

Versio prosaica

Is, qui de tribus milibus annorum
nescit sibi rationem reddere
in tenebris restat imperitus
in diem vivens.

HORTUS EDEN

... denique et tandem necessarium esse, ut aliquando aliquid exortum esset e nihilo nullâque re...

Sophia Amundsen e scholâ domum ibat. Per primam partem viae ierat unâ cum *Iorunnâ*. Inter se collocutae erant de androidibus. Iorunna cerebrum humanum putavit esse computatrum intricatum. At Sophia non ita certo scivit, num Iorunnae assentiretur. Homo nonne plus valeret quam machina?

Apud pantopolium una ab alterâ discesserat. Sophia habitabat in extremâ tribu spatiosâ, cui inerant domûs singularum familiarum; ei ad scholam iter faciendum erat alterum ferê tantum, quantum Iorunnae. Domus Sophiae videbatur sita esse extra mundum, nam post hortum nullae erant domûs aliae, sed nihil nisi silva.

Nunc puella deflexit in *Viam Trifolii*¹. Quae via in fine extremo formata erat in curvaturam acutam, quae vocabatur »*curva nauarchi*«. Hîc ferê numquam homines versabantur nisi diebus Saturni et sôlis.

Fuit unus ex prioribus diebus mensis Maii. Nonnullis in hortis sub arboribus pomiferis florebant coronae densae narcissorum. Betullae erant tenuibus indumentis viridibus.

Nonne mirum esse hîc anni tempore omnia initium facere crescendi et augescendi? Quonam modo fieret, ut ex humo non animatâ materia plantarum viridis uberrimê erumperetur, ubi primum tempestas caluisset nivisque partes ultimae essent absumptae?

Sophia arcam cursualem inspexit, antequam aperuit portam horti. Ibidem puella solebat invenire multa tittibilicia² commendationis commercialis³ et nonnulla involucra magna epistularum matri suae missa. Talibus inventis Sophia semper crassam struicem rerum cursualium in mensâ culinari deponebat, antequam ibat in conclave suum, ut faceret pensa domestica.

¹ *Via Trifolii* orig. *Kløverveien*.

² *tittibilicium*, -iī n. theod. *Kram*.

³ *commendātiō commerciālis* theod. *Reklame*.

Patri eius interdum tantum mittebantur excerpta computi, sed îdem non fuit pater vulgaris. Sophiae enim pater, cum esset nauarchus navis oleariae, ferê per totum annum itinera faciebat. Deinde cum in nonnullas septimanas domum venerat, per conclavia ambulabat calceis semper domesticis tenerâque cum diligentîâ curabat Sophiam eiusque matrem. At itinera faciens Sophiae videbatur esse admodum remotus.

Hodie in viridi arcâ cursuali nihil infuit nisi epistula parva – quae missa erat Sophiae.

Nomen »Sophiae Amundsen« parvo involucro inscriptum erat. »Iuxta Viam Trifolii, in domo tertiâ«. Haec fuerunt omnia, defuit nomen eius qui epistulam miserat. Eadem ne pittacio epistulari quidem erat instructa.

Ubi primum Sophia portam post se clauserat, involucrum aperuit. In eodem nihil invênit nisi scidulam satis parvam, haud involucro maiorem. Scidulae inscriptum erat: *Quis es?*

Non plura. Scidula neque continuit salutationem neque nomen missoris, nihil nisi ista verba tria manu scripta, quibus additum erat signum interrogationis magnum.

Puella iterum aspexit involucrum epistulae. Reverâ – haec epistula missa erat sibi ipsi. At quis eam arcae cursuali infixerat?

Sophia celeriter clave aperuit ianuam domûs rubrae. Catta *Sircâna*¹, ut solebat, e fruticibus repserat, in scalarum fulmentum saluerat, in domum illapsa erat, priusquam Sophia ianuam post se clausit.

»Mus, Mus, Mus²!«

¹ **Sircâna*, -ae m., orig. *Sherekan* (nomen tigridis, quod invenitur in libro illustri a *Rudyard Kipling* scripto ("The Jungle Book").

² *mūs, mūs, mūs!* (indecl.) theod. *Miez, Miez, Miez!* cfr Walde/Hofmann, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 5.ed., tom.2 (M-Z), Heidelberg 1972, p. 134: „mūsiō(-uss-), -ōnis m."Katze" (Glossen, Isidor, romanisch): nicht als "Mäusefänger" (Wort der Kindersprache) zu *mūs* (Sofer Isid.63f.), sondern **Kosewort der Kindersprache, mit nur nachträglicher Anlehnung an *mūs***, daher nicht zu *mūriō* weiterentwickelt (vgl. den **Lockruf für Katzen: in Südtalien *mūš mūš***, dagegen Toskana *mīš-mīš*, deutsch Mieze usw. [Rohlf's briefl.]; ...“ cfr EL 169, p.7, n.2 (mussire).

Cum mater Sophiae quamcumque rem molestê ferebat, interdum domum suam appellabat *vivarium*¹. Vivarium enim erat collectio variarum bestiarum et reverâ – Sophia sat contenta erat collectione suâ propriâ. Primo acceperat vas vitreum, cui inerant pisces aurati, quos vocabat *Cincinnatiolum aureum*, *Rubricappulam*, *Petrum nigrum*. Deinde additi sunt *Thomas* et *Ieremias*² psittaci undulati, *Govinda* testudo, denique *Sircana* catta tigrina fulvi coloris. Omnibus his bestiis donatis parentes quodammodo voluerant damnum resarcire, quod Sophiae oriebatur matris reditu retardato et patris itineribus mundanis frequentibus.

Sophia chartophylacio scholari in angulum proiecto Sircanae scutulam posuit pabuli cattarii³. Deinde epistulam mysterialem manu tenens lapsa est in scabillum culinare.

Quis es?

Utinam hoc sciret! Scilicet se esse *Sophiam Amundsen*, sed quisnam esset haec? Hoc nondum rectê invenerat.

Quid, si sibi esset aliud nomen? *Anna Knutsen* exempli gratiâ. Si talis vocaretur, num esset alia?

Subito Sophiae in mentem incidit patrem suum primo voluisse sibi nomen imponere *Synnovae*. Sophia conata est mente fingere, quonam modo ipsa se haberet, si se introducens manum porrigeret nomen dicens *Synnovae Amundsen* – immo, hoc fieri non posse. Tale nomen pronuntians semper mente fingebat aliam puellam.

Nunc Sophia e scabillo prosiluit et miram epistulam manu tenens iit in conclave balneare. Puella se collocavit ante speculum et inspectavit oculos proprios.

¹ **vivarium**, -iī n. theod. *Menagerie*. cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.2, col.3529, s.v. vivarius: „...II. *subst.*, vivarium, ii n., das Behältnis zur Aufbewahrung lebender Tiere, wie Wild, Fische usw., das Tierbehältnis, der Tiergarten (**die Menagerie**), der Fischteich, der Fischbehälter...“

² **Thōmās et Ieremias** theod. *Tom und Jerry*.

³ **+cattarius**, -a, -um i.e. ad cattum pertinens. cfr G.H. White: <https://doi.org/10.1017/S000358150008817X> [Published online 29.Nov.2011](#): “page 56 note 7. In two early 12th-century records relating to St.Paul’s, a London citizen is described as **cattarius** (Hist.MSS.Comm., 9th. Reg., pt.i, App.,pp.6r, 68). Probably these would be dealers in catskins; for the use of which in dress see Du Cange, sub *Cattus* (*Cattinae Pelles*).” – Ceterum in Germania hodie adhuc exstat nomen gentilicium, q.e. *Cattarius*: v. *interrete* s.v.

Dixit: »Ego sum *Sophia Amundsen*«.

Puella autem, quae speculo infuit, respondens vultum ne minimê quidem contraxit. Quidcumque Sophia faciebat, illa faciebat ipsam eandem rem. Sophia conata est imagini speculari praevenire, sed illa altera ipsa eâdem erat velocitate.

Sophia interrogavit: »Quis es?«

Nunc quoque Sophia nullum accepit responsum, sed per breve momentum temporis prorsus nescivit, utrum ipsa an imago ipsius hoc quaesivisset.

Sophia digitum indicem naso impressit, qui infuit speculo, et dixit:

»Tu es ego«.

Nulla responso accepto sententiâ inversâ dixit:

»Ego sum tu«.

Sophia Amundsen aspectu suo numquam satis fuerat contenta. Quae saepe audiebat se esse pulchris oculis amygdalinis, sed credebat alios hoc certê dicere, quia nasus suus esset nimis parvus, ôs suum nimis magnum. Praeterea aures oculis esse multo propinquiores quam deceret. Foedissimos autem esse capillos suos multo laeviores, quam ut possent capiti apponi. Interdum pater Sophiae capillos permulcens eam appellabat »puellam, quae est capillis linaceis«, secundum melodiam a *Claudio Débussy* compositam¹. At patrem nimis leviter de hac re loqui, eum ipsum non esse a fato condemnatum, ut per totam vitam haberet capillos nigros laeves dependulos. At capillos Sophiae neque tractari posse sparsimento² neque gelamine³.

Interdum Sophiae aspectus proprius visus est tam mirus, ut ex se quaereret, num ipsa fortasse esset partus monstruosus⁴. Matrem suam

¹ **Puella quae est capillis linaceis** fr. *La fille aux cheveux de lin* (Claude Débussy). theod. *Das Mädchen mit den Flachshaaren*. ***linaceus**, -a, -um. Hoc adiectivum adhibetur a botanistis: *Linum* spectat ad familiam *Linacearum* botanicam. Sed capilli solent cum lino comparari coloris flavi causâ, non formae laevis.

² ***sparsimentum**, -ī n. theod. *Spray*.

³ ***gelâmen**, -inis n. theod. *Gel*.

⁴ **partus mōnstruōsus** theod. *Missgeburt*.

narrasse de partu difficili. At num reverâ ipso partu determinaretur aspectus hominis?

Nonne aliquatenus mirum esse se nescire, quisnam esset? Nonne intolerabile esse homini non permissum esse, ut decerneret de aspectu suo proprio? Aspectum sibi praedispositum esse. Se fortasse eligere posse amicos, sed se ipsam sibi non elegisse. Ne id quidem a se ipsâ statutum esse, ut fieret homo.

Quidnam esset homo?

Sophia denuo aspexit puellam illam speculo impositam.

»Malim nunc facere pensa mea biologiae«, Sophia dixit paene se excusans. Proximo momento temporis puella foris stetit in androne.

Sed ibi cogitavit: ‘Non, mâlo ire in hortum.’

»Mus, Mus, Mus!«

Sophia cattam foras fugavit in scalas et ianuam post se clausit.

Cum puella epistulam mysterialem manu tenens foris stabat in viâ silicatâ¹, subito animus eius est mirê commotus. Sophia enim sibi visa est pupa, quae vi magicâ erat animata.

Nonne mirum esse, quod ipsa in mundo versaretur sibi que liceret ambulare in fabulâ mirabili?

Sircana eleganter siluit trans viam silicatam et in frutices ruborum artê stantes evasit. En catta viva, quae vehementer vigebat valebatque a vibrissis candidis usque ad caudam verberantem in extremâ parte corporis posticâ sitam. Catta quoque in horto versabatur, sed huius rei vix conscia erat eodem modo ac Sophia.

Sophia aliquamdiu de existentiâ suâ meditata non potuit, quin cogitaret se non semper hîc fore.

¹ **via *silicâta** theod. *Kiesweg*. cfr Werke von Daniel Bernoulli, tom.3, ed. Birkhäuser, a.1987, p.208: „Sic quum Cel. Auctor observaverit **viam silicatam** siccam, ...“

Puella cogitavit: ‚Nunc hîc in mundo sum. Sed aliquo die inde evanescam’.

Num esset vita post mortem? Etiam huius quaestionis cattam esse omnino non consciam.

Haud multo temporis ante avia Sophiae mortua erat. Omni ferê die Sophia cogitabat, quam vehementer desideraret illam. Nonne iniustum esse vitam aliquando finitum iri?

Sophia remansit in viâ silicatâ stans. Quae conata est quam studiosissimê cogitare de existentîâ suâ, ut oblivisceretur se non semper hîc fore. Sed hoc omnino non fieri potuit. Quandocumque animum attendit ad id, quod ipsa exstaret, puellae statim subiit vitam suam aliquando finitum iri. Nec aliter haec res contra se habuit: Eo demum momento temporis, quo Sophia vehementissimê sentiebat fore, ut aliquo die evanesceret, rectê animadvertibat vitam esse pretii praestantiaeque infinitae. Haec res aliquatenus comparari poterat cum duobus lateribus eiusdem nummi, qui iterum iterumque convertebatur. Quo maius et lucidius erat unum lateris nummi, eo maius et lucidius fiebat alterum quoque lateris. Vita et mors erant duo latera rei eiusdem.

Sophia cogitavit neminem posse experiri se exstare, nisi etiam experiretur sibi esse moriendum. Nec fieri posse, ut deliberares tibi moriendum esse, nisi simul cogitares quam mirabilis esset vita.

Sophiae incidit in mentem aviam suam eo die, quo audiverat se in morbum incidisse, aliquid simile dixisse. Haec enim dixerat: »Nunc demum comprehendo quam dives sit vita«.

Nonne triste esse, quod plerique homines non intellexerent, quam pulchra esset vita, antequam in morbum inciderent? Saltem necessarium esse, ut in arcâ suâ cursuali invenirent epistulam mysteriale.

Fortasse sibi videndum esse, num plures epistulae allatae essent? Sophia ad portam cucurrit operculumque viride sustulit. Trepidavit, cum inveniret alterum involucrum prorsus simile. Nonne vidisset, num arca cursualis reverâ vacuefacta esset, cum primam epistulam exemisset?

Huic quoque involucro inscriptum erat nomen Sophiae. Puella hoc inscissum aperuit et ex eodem traxit scidam albam, quae fuit eodem aspectu ac prior.

Huic scidae inscripta erant verba: *Mundus unde exortus est?*

Sophia cogitavit ‚Omnino nescio’. Hoc quidem neminem esse qui sciret! Tamen – Sophiae visum est oportere, ut hoc quaereretur. Primum in vitâ suâ puella cogitavit paene fieri non posse, ut homo in mundo vivens non saltem *quaereret*, unde ipse exortus esset.

Epistulis mysterialibus acceptis Sophia tantâ vertigine affecta erat, ut statueret in cavernâ suâ considerare. Haec caverna erat latebra Sophiae secreta. Illuc non veniebat nisi erat iratissima aut tristissima aut laetissima. Hodie fuit perturbata.

Domus rubra stabat in horto magno. Hîc erant multae areolae florum, ribes atque grossulariae, variae arbores pomiferae, magnus caespes cui inerat oscillum Aquifolietanum¹ necnon parvus papilio², quem avus aviae aedificaverat, cum prima eorum infans paucis tantum septimanis post partum mortua esset. Misera illa puellula vocata erat Maria. Lapidum sepulchrali inscriptum erat: »Mariola haud diu adfuit, ‘avete’ dixit et iam abiit«.

In quodam angulo horti, post ipsos rubos idaeos, stabat densum dumetum, quod neque bacas neque flores ferebat. Quod fuit vetus saepimentum, quo originaliter fines horti et silvae erant determinati, sed quia per viginti annos hoc saepimentum a nemine curatum erat,

¹ **ōscillum** ***Aquifoliētānum** theod. *Hollywoodschaukel*. ***Aquifoliētum**, -ī n. *Hollywood*. Aquifolietum est pars Angelopolis, eo praecipuê nōta, quod est sedes societatum cinematographicarum multarum. Nomen *Hollywood* ducitur ab *holly*, quod est anglicum nomen aquifolii (quae planta botanice dicitur *Ilex aquifolium* et spectat ad familiam Aquifoliacearum. cfr Jacques André, *Les noms des plantes dans la Rome antique*, Paris 1985, p.22: “aquifolium,-i,n., usuel; aquifolia,-ae f. (Pline,24,116); acrifolium, Marc.med.30,65; Pline, med.3,1,3, etc.; agrifolium, Pline Val.2,28; à feuille piquante”: Houx (*Ilex aquifolium* L.).” – In Orbe Latino, lexico geographico Theodori Graesse et Friderici Benedict, quidam vicus Francogallicus appellatur nomine Aquifolietum: OL 21: “Aquifolietum, *La Houssaye*, D.(orf), Frankreich (Seine-et-Marne).” cfr http://www.wysshgh/html/Pflanzenportraits_volltext.asp?id=28. – Egger, *Latinitas* 57,116 regionem appellat *Acrifolietum. Addit nomen Ruscisilvae, quod non quadrat, nam ruscum alia planta est, quae spectat ad familiam Asparagacearum: v. Andre, op.mem. s.v. ruscus, -i f.: “...Fragon, Petit-houx (*Ruscus aculeatus* L.), Virg.B.7,42; G.2,413; Col.10,374; 12,7,2; Pline 21,86...”

² **papiliō**, -ōnis m. theod. *Pavillon*. Cfr Georges, *Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch*, tom.II, col.1464, s.v. II: „das Zelt, Lustzelt (wovon das französ. *pavillon*), Spart.Pesc.11,1; Lampr.Alex.Sev.51,5; Tert.ad martyr.3. ...“ – cfr DuCange s.v. Papilio 1: “...Pro **Aedificio** aperto, porticus nempe seu perystilium (sic!), occurrit in Stat.Cadubr. lib.3.cap.14: Quas poenas si non solverit infra quindecim dies, a tempore condemnationis factae, fustigetur circa logiam seu Papilionem plebis.”

idem crescendo factum erat dumetum impenetrabile. Avia narraverat effectu huius saepimenti tempore belli, quo gallinae ambulavissent liberae, vulpibus difficile fuisse gallinas venari.

Ceteris omnibus vetus hoc saepimentum haud minus inutile erat quam vetera stabula cuniculorum in parte horti anteriore sita. At hoc eo tantum effectum erat, quod ceteri nihil sciebant de Sophiae mysterio. Quantum Sophia recordari potuit, iam noverat quendam transitum saepimenti angustum. Cum per hunc transitum repserat, mox assequebatur magnum spatium cavum, quae erat caverna sua. Hîc pro certissimo habuit se a nemine inventum iri.

Utroque involucro manui imposito Sophia per hortum cucurrit et more bestiae quadrupedis per saepimentum repsit. Caverna erat tanta, ut puella in eâ stare posset paene erecta, sed nunc ea consedit in nonnullis radicibus crassis. Inde eadem per exigua foramina potuit inter ramos foliaque foras prospicere. Quamvis nullum horum foraminum maius esset nummo quinque coronatorum, Sophia poterat totum hortum aspectare. Sophia tempore, quo parvula fuerat, libenter aspexerat matrem patremque inter arbores circumcurrentes, ut filiolum quaerent.

Hortus Sophiae semper visus erat tamquam mundus proprius. Quandocumque puella audiverat de horto *Eden* in genesi descripto, non potuerat, quin cogitaret de cavernâ et de eo, quod sentiebat ibidem sedens et hunc paradisum sibi proprium aspectans.

»*Mundus unde exortus est?*«

Non, hoc Sophia reverâ ignoravit. Scilicet eam novisse mundum esse nihil nisi parvum planetam ingenti universo insitum. At universum unde exortum esset?

Scilicet animo fingi posse universum iam semper adfuisse; si hoc crederet, sibi necessarium non esse, ut explicaret, unde universum exortum esset. At num reverâ *potuit* universum esse aeternum? Sophiae visa est quaedam vox interna huic sententiae reclamare. Omnia, quae exstarent, necessario habere initium. Ergo necessarium esse, ut universum aliquando exortum esset ex aliquâ re aliâ.

At si universum subito ex aliquâ re aliâ exortum esset, necessarium esse, ut eadem res alia exorta esset ex aliquâ re aliâ. Sophia mente comprehendit se hâc modo problema non solvisse, sed tantummodo distulisse. Nam necessarium esse, ut aliquando aliquid exortum esset e nihilo nullâque re. At quomodo hoc fieri posset? Nonne haec mentis fictio item non esset vera ac illa, quâ fingeretur mundus iam semper fuisse?

In institutione religionis scholari discipuli discebant Deum creavisse mundum, et Sophia nunc conata est acquiescere huic fidei religiosae et credere hanc adversus omnia dubia esse solutionem huius problematis optimam. At deinde denuo coepit cogitare. Se libenter concedere Deum creavisse universum, sed quisnam esset Deus ipse? Num is se ipsum ex nihilo nullâque re creavisset? Iterum Sophiae visa est vox quaedam interna sententiae reclamare. Quamvis Deus certê omnia possibilea creare posset, vix esse verisimile fieri posse, ut is se ipsum creavisset, priusquam haberet aliquid »ipsum«, quo posset creare. Si haec cogitatio quadraret, unam tantum restare possibilitatem: Deum iam semper fuisse. At hanc possibilitatem modo iam a se reiectam esse. Omnia, quae exstarent, necessario habere initium.

»Malum!«

Iterum Sophia aperuit utrumque involucrium.

»Quis es?«

»Mundus unde exortus est?«

Istas quales quaestiones esse! Undenam hae duae epistolae allatae essent? Hoc esse ferê eodem modo mysteriale.

Quis Sophiae subito ex vitâ cottidianâ ereptae obtulerat magna universi aenigmata?

Tertio Sophia iit ad arcam cursualem.

Nunc demum tabellarius attulerat res cursuales usitatas. Sophia struicem commendationis commercialis, ephemeridum, duasque epistulas matri missas ex arcâ piscata est. Adfuit etiam chartula

cursualis – imagine litoris meridionalis instructa. Puella chartulam convertit. Ei agglutinata erant norvegica pittacia epistularia, inerat signum »regimenti Nationum Unitarum« impressum. Num haec chartula esset a patre suo missa? At is nonne versaretur loco omnino alio? Neque litteras esse more patris scriptas.

Sophia inscriptionem in chartulâ legens sensit sanguinem in venis suis celerius pulsari. »*Hilda Møller Knag, c/o Sophia Amundsen, Via Trifolii, iuxta domum 3...*« Reliqua pars inscriptionis cursualis recta erat. In chartulâ autem scripta erant verba haec:

Cara Hilda! Tibi gratulor in diem natalem tuam decimam quintam. Certê intellegis me tibi aliquid donare velle, quo animus tuus crescat. Ignosce, quod hanc chartulam mitto Sophiae. Sic factum est facillimê.

Medullitus te salutat

Atta.

Sophia in domum recurrit et raptim prosiluit in coquinam. Puella sensit in animâ suam saevire procellam. Quidnam istud valeret? Quis esset ista *Hilda*, quae integro mense ante Sophiam assequeretur annum aetatis quintum decimum?

Sophia indicem ex androne sibi attulit librum telephonicum. Multi homines ibi indicati nomine erant *Møller*, nonnulli *Knag*. At in toto libro telephónico crasso ne ullus homo indicatus erat nomine *Møller Knag*.

Iterum puella perscrutata est chartulam mysterialem. Quae fuit vera, non falsata, signo et pittacio epistulari instructa.

At quare pater misisset chartulam nataliciam Sophiae ad inscriptionem cursualem, si eadem prorsus manifesto spectaret ad alium hominem? Quemnam patrem chartulam cursualem mittere per viam falsam ideoque filiam suam fraudare salutatione nataliciâ? Quâ de causâ res esset »sic facillima«? Et hoc praecipuê Sophia non intellexit: Quonam modo ipsa invenire posset *Hildam*?

Ita factum erat, ut Sophiae esset novum problema, quod ut solveret etiam aestuabat. Denuo ea conata est cogitationes suas ordinare.

Spatio paucarum horarum postmeridianarum Sophiae oblata erant tria aenigmata. Primo aenigmate quaesitum erat, quisnam duo involucra alba epistularum arcae cursuali suae imposuisset. Duo aenigmata complexa sunt difficiles illas quaestiones, quae in his epistulis positae erant. Tertio autem aenigmate quaerendum erat, quis esset *Hilda Møller Knag* et quare Sophia accepisset chartam natalicium puellae alienae missam.

Sophia pro certo habuit haec tria aenigmata aliquo modo inter se cohaerere, nam usque nunc ipsa vitam egerat prorsus solitam.

**FABULAM ROMANICAM
A *JOSTEIN GAARDER* SCRIPTAM,
CUI TITULUS EST
»Sofies verden«
in Latinum convertit
LEO LATINUS**

Pars altera (II) sequetur!

* *
*

NOVA FABVLA MVSICA LATINA

EINE NEUE LATEINOPER IN FREISING AM 6. UND 7. OKTOBER 2018

Valahfridus Latinarum Musarum amicis s.

Quam paucae videntur esse fabulae musicae Latinae! Nam Oedipus Rex ille, quem Strawinsky fecit, Latinus quidem est, sed magis oedo quam scaenae accommodatus. Item Orffii celeberrima Carmina Burana, aut, si vetustiora quaerimus, Antoni Vivaldi Juditha triumphans, quam nemo adhuc scaenae commendavit. Ergo una restare videtur Apollinis et Hyacinthi fabula, quam Mozartius puerili, ne dicam infanti ardore, nam undecim annos tum natus erat, modis suis ornavit. Sed non iam necesse est his acquiescere. Ecce in Parnasso Latino novam stellam oriri voluerunt Musae vel ut accuratius dicam Musae Benedictinae. Eae enim saeculo duodevicesimo Frisingae quotannis in scaena aulae gymnasii fabulas musicas ediderunt. E quibus una tantum, nempe quae optima et iucundissima iudicabatur, servata est sub nomine Comediae Frisinganae. Cuius altera pars est allegorica, in qua Idololatria (sive Asebia) cum Anima Christiana et Fide rixatur, altera uersibus mollissimis Abrahae curas et dolores a Deo iniunctas exponit. Argumentum scaena dignissimum! Fecerunt autem, ut nunc tandem intelleximus, AD 1739 Gabriel Liebhheit rhetoricae professor Frisingensis et Petrus Lapiér musurgus et organoedus aulicus Monacensis. Qui nunc ex hoc opere, quod suavissimum est, inter principes sui temporis musicos fuisse cognoscitur.

Paene trecentos annos haec fabula in pulchra partitura q.d. Bibliothecae Regiae sive Publicae Monacensis iacuit vel dormivit. Nunc tandem Sabina Lehrmann gubernatrix Novorum Musicorum Aulicorum Frisingensium pulverem operi excussit meque coegit artibus philologicis et historicis opus expolire ut scaenae redderetur. Auxilio tum venerunt Christophorus Eglhuber citharista rectorque capellae et Jadwiga Nowaczek saltationis et actionis baroccae magistra. Maximum autem momentum attulitdenique Iosephus Hauner, consiliarius pagi Frisingensis, qui hoc opus singulare et inauditum suis auspiciis edi voluit.

Ergo hoc anno m. Oct. diebus sexto et septimo hora 19.30 Frisingae in scaena Gymnasii Camerloherani denuo exhibebitur Comedia Frisingana.

<https://www.kreis-freising.de/pressemitteilungen/details/news/detail/News/szenische-auffuehrung-und-festakademie-camerloher-festival-2018.html>

Exspectant vos Musae Benedictinae.

Wilfried Stroh

Bourdonstr. 7

85354 Freising

08161/64046

stroh@klassphil.uni-muenchen.de

23.9.2018

-

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUINTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Lunae, 24. m.Sept. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>